



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Sectio quarta. Vtrum persona creata possit hypostatice vniri alteri naturæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

Obiectio.

Responsio.

D. Thom.
Marfil.
Almain.
Gabr.
Caietan.In concretis
quid vnum
et quæ plura
dicantur.

rantur tres humanitates in habente ipsas. Dices: Nō solum numerantur humanitates, sed etiam habentes humanitates. Sed contra, nam per terminum vnitatis non numerantur habentes, sed sola humanitas in habente, siue illud sit vnum, siue plura, ergo, & simili modo per terminum multitudinis numerantur formæ, & non supposita seu habentes ipsas. Denique individuum humanæ naturæ constituitur per individuum naturam, sicut homo in specie constituitur per speciem naturam, ergo ubi sunt plures individua naturæ humanæ, erunt plura individua, atque adeo plures homines. Hæc sententia est valde probabilis. Nihilominus D. Th. hoc loco ar. 7. sententiā retractat, & docuit in eo casu huiusmodi personā esse vnum hominem, sequitur Marfil. in 3. q. 2. art. 3. dub. 2. Almainus, d. 1. q. 2. dub. 3. Gabr. q. 3. art. 3. dub. 4. Caiet. hic Ferr. 4. cont. gent. c. 11. & omnes Thomistæ, & quoniam hæc controuersia magis est de modo loquendi, quam de re, & hæc vltima sententia magis consentanea est communi modo loquendi, ideo simpliciter mihi magis probatur: in eo enim casu ex omnibus illis naturis constitueretur vna persona humana, vt per se cōtag, & vnum suppositum: vt vero iuxta communem modum loquendi, nullū suppositum dicitur simpliciter plures sub aliqua appellatione, seu forma, etiam si habeat plures formas, seu rationes, a quibus possit illa denominatio sumi. Antecedens inductione constat, nam vnus homo est vnus artifex, vel vnus pater, etiam si habeat plures artes, vel paternitates, & tertius Pater est vnū principium Filij & Spiritus Sancti, quamuis habeat plures proprietates seu relationes, vt docuit D. Th. 1. par. q. 36. art. 4. ad 2. Denique Christus Dominus quāvis habeat duas naturas substantiales, simpliciter est vna substantia, & non plures: ex qua inductione colligimus, iuxta communem modum concipiendi, & loquendi, has voces numerales, quæ significant multitudinem, applicatas terminis concretis, semper implicite dicere multitudinem suppositorum, vt Diu. Tho. supra dixit, de termino autem significante vnitatem nō ita est, sed potius licet supposita sint plura, dicuntur aliquid vnum, quatenus in aliqua forma, vel ratione conueniunt, & ita licet plures personæ dicantur vnus homo, propter conuenientiam in vna humanitate, vna tamen persona non poterit dici plures homines propter plures humanitates.

Ratio vero aliqua ex re ipsa reddi potest, quia multitudo diuisionem significat, diuisio autem significat negationem vnitatis, seu vnitatis, & cōtrario vero vnitatis formaliter significat vnionem, seu indiuisiōnem, vnde vt aliqua sint vnum sub aliqua ratione, sufficit, vt sub illa ratione vniātur, at vero vt sint plura, requiritur, vt absolute & simpliciter diuidantur, & non vniātur ad componendum vnum, quia ergo plures humanitates assumptæ ab eadem persona, coniunguntur in illa ad componendum vnum, ideo non possunt dici ex illis resultare tres homines, sed vnus homo. Quod confirmatur, quia plures homines illi sunt quorum vnus non est alius, sed si Verbum assumeret duas humanitates, & sub vna vocaretur Iesus, & sub alia Ioannes, verum esset dicere, Iesus est Ioannes, sicut est verum dicere, Verbum est Iesus, ergo hic homo nō esset alius ab illo, quia vnus esset alius, ergo non essent plures. Et hoc argumentum ostendit per hanc vocem plures significari, non tantum plures formas, sed etiam plura supposita, quia illa vox simpliciter distinguit vnum hominem ab alio. Et confirmatur denique, quia illa persona subiecta in pluribus naturis, est vnus simpliciter & sine addito, & vnum ens per se absolute & sine addito, ergo & vnus homo. Vnde ad argumentum in contrarium respondetur, hunc terminum vnitatis non semper numerare vnam formam solam, seu excludendo aliam, vt patet in exemplis supra adductis de vno artifice, &c. Requirit ergo vel vnitatem for-

ma, vel saltem vnionem formarum in eodem supposito.

Et ex his facile intelligitur, quid dicendum sit, si omnes tres personæ assumerent tres humanitates, ita vt quilibet earum assumeretur ab omnibus, tūc enim diuersis respectibus essent tres homines, comparando scilicet distinctas personas ad distinctas humanitates, & vnus homo, comparando tres personas ad eandem humanitatem, vel plures humanitates ad eandem personam. Secundo sequitur, quod si Verbum dimitteret humanitatem, quam nunc habet, & eam assumeret Pater, nihilominus maneret idem homo, quia licet non maneret eadem persona humana, maneret tamen subsistens in eadem humanitate: & cōtrario vero, si Verbum dimitteret hanc humanitatem, & assumeret aliam, nihilominus maneret idem homo, sicut etiam si Petrus acquirat vnam albedinem, & amittat quam habebat, manet idem albus, & idem est in omnibus mutationibus, quæ fingi possunt: quia ratio eadem est, siue intelligantur plures naturæ seu formæ simul esse in eodem supposito, siue successiue. Tertio sequitur fieri posse, vt hic homo dicatur quiescere & moueri, generare & generari, & similia, quæ per communicationem idiōmatum nullum est inconueniens dici de eodem supposito propter diuersas naturas. Et alique etiam possent interdum dici de eodem indiuiduo naturæ, propter diuersas personas, vt hic Deus dicitur generare & generari, & ex his principiis facile soluentur omnia sophismata, quæ hic fieri solent.

SECTIO IV.

Utrum persona creata possit hypostaticè vniri alteri naturæ.

Non est quæstio de vnione quoad vim efficiendi nullam, de hoc enim satis dictum est disp. 10. sect. 1. sed solum de ratione terminandi, an possit Deus vniri hypostaticè supposito creatum cum aliena natura. Prima sententia affirmat hoc fieri posse, quam tenet Ocham in 3. quæst. 1. dub. vltim. ad 14. vt refert Gabr. distinct. 1. q. 2. dub. 5. qui dubiam reliquit sententiā suam, sicut etiam Scot. q. 4. licet in hanc partem magis inclinet, quam tenuit ibi Mai. q. 5. Basol. q. 6. Almain. q. 2. dub. vlt. Palacios q. 5. vtræque reputat probabilem. Marfil. verò q. 2. dub. 3. difficleat esse inuenire implicationem: vnde in hanc partem etiam inclinat. Fundamentum est, quia id non implicat contradictionem, non enim ex parte naturæ, cum illa separabilis sit à proprio supposito, & consequenter de se sit in potentia obediēciali, vt vniatur cuius potenti illam terminare: nec vero ex parte suppositi creati, ad hoc enim virtus aut perfectio infinita minime requiritur, cur enim? namque non adeo nobilis est hic effectus terminandi, vt illam requiratur: quam rationem melius vrgebimus examinando implicationem, quam affert contraria sententia. Possit vero opinio hæc confirmari auctoritate eorum, qui putarunt, non solum hoc esse possibile, sed etiam factum: refert enim Hieron. in præf. ad Malachiam, & Aggæi 1. circa illud: & dixit Aggæus nuncius Domini, aliquos sensisse, Malachiam, Aggæum & Ioannem fuisse Angelos in assumptis corporibus, eo modo, quo Christus est Verbum in corpore assumpto: & subdit Hieronymus: Nec mirum hoc de Hieron. Angelis credi, cum pro salute nostra Filius Dei corpus nostrum assumpserit. De Melchisedech etiam ita quosdam sensisse, videbimus infra, quæstione 22. Et sequente romano referam aliquos similiter dixisse, Antichristum futurum & demonem incarnatum. Tertullianus libr. de carne Christi cap. 4. & 6. & lib. 3. contra Marcionem cap. 9. Angelos dicit veram carnem assumpsisse, cum apparuerunt Abraham, & sæpe alijs, & indicat assumpsisse hypostaticè, nam ex ea assumptione probat, fuisse possibilem Verbi Incarnationem. Denique interdum Sancti dicunt, potuisse Deum redi-

Ocham.
Gabr.
Scotus.
Maior.
Basilius.

Hieron.

Tertullianus

redimere homines per Angelum, & non censent id fuisse possibile tantum per naturam Angelicam, sed per naturam humanam, quod non posset esse sine v-nione hypostatica humanitatis ad Angelum, sentiunt ergo illam fuisse possibilem.

D. Thom.

Cait.
Durand.
Palad.
Sotus.
Henricus.
Rais Du
rand ex eo
quod virtus
substantia
creata non
possit augeri.

Secunda opinio negat illa ratione fieri posse, vt suppositum creatum alienam naturam terminet, seu hypostatice sustineat. Hec censetur esse D. Thom. supra art. 1. ad 2. vbi dicit esse proprium diuinæ personæ propter eius infinitatem, vt fiat in ea concursus naturarum secundum substantiam, vbi Caietanus & alij Thomistæ hoc tenent, & Dura. dist. 1. q. 5. Palad. q. 1. art. 2. Sotus in 4. d. 9. q. 2. art. 2. Henricus quodlibet. 11. quest. 10. Picus Mirand. in Apolog. q. 4. & 6. Sed fundamentum, & implicatio contradictionis non facile assignatur. Durandus supra ita arguit, quia vt substantia aliqua terminet aliquas naturas indiget aliqua perfectione & virtute; nam licet actu terminare non sit noua perfectio suppositi assumptis naturam, tamen posse terminare perfectionem dici: sed substantia creata nec habet vim naturalem ad terminandam aliam naturam, quam sibi cō-naturalem, nec capax est illius, vt scilicet supernaturaliter illam accipiat à Deo, ergo. Probatur prima pars minoris. Primo, quia vnaquæque substantia creata cum limitata sit, & finita, est adæquata suæ naturæ, ad quam solam terminandam ex natura sua ordinata est, ergo ad hunc tantum effectum habet naturalem vim: sicut è contrario natura creata, ad propriam substantiam tantum creatam, habet naturalem aptitudinem. Secundo, quia si potestas terminandi alienam naturam esset naturalis supposito creato, etiam actus terminandi esset illi naturalis, & ordo naturalis postularer agens, quod illa potentia posset in actum reuocari, esset ergo tota illa vniō hypostatica naturalis, & non miraculosa.

Secunda pars minoris probatur, quia vis & potestas suppositi creati nullo modo augeri potest virtute diuina, neque enim per intentionem, quia cum personalitas sit vltimus & in diuisibilis terminus substantialis, non est inensibilis: neque per additionem alicuius entitatis, quia talis entitas non posset esse nisi accidentaliter, quæ nihil refert ad suppositum, quia hic est proprius actus substantiæ, vt substantia est: nec vero posset supposititas creata in se immutata eleuari ad terminandam naturam, quam naturaliter non potest terminare, nam licet hoc intelligatur esse possibile in instrumento causæ efficientis, quia ibi principalis causa est, quæ primario agit, & eleuat instrumentum, tamen in hac suppositione non videtur posse intelligi, quia hic principalis ratio istius effectus, vel quasi effectus, scilicet sustentationis naturæ assumptæ, esse debet ipsa supposititas, neque in eo munere potest se gerere vt instrumentum, cum nihil aliud sit ibi, quod principaliter in hoc genere concurrat, & in hac ratione videtur niti illa, qua Caietanus hic vtitur, scilicet, quia si suppositum creatum posset eleuari ad sustentandas duas naturas, ergo & ad tertiam & plures in infinitum, hoc autem videtur perfectionem infinitam in illo requirere.

Radicat.

Sed hæc ratio, vt verum fatear, non conuincit, quia sicut sustentare vel terminare naturam est alicuius perfectionis, ita è contrario informare subiectum est alicuius perfectionis in forma ipsa, vt viuificare corpus in anima, & sustentare accedens in substantia: sed non augendo substantiam animæ potest facere Deus, vt informet maius corpus, quam naturaliter posset, vel etiam duo corpora, & vt eadem albedo immutata formaliter reddat alba duo corpora, & vt idem corpus sustineat in se duo & plura accidentia, quæ naturaliter non posset recipere, nec sustentare. Item potest ponere in cælo accedens, cuius naturaliter non est capax, & idem corpus in duobus locis: & in his omnibus non proprie vtitur Deus his

rebus, vt instrumentis, sed vtitur potentia obedientialium ad dictos effectus, constituyendo virtute suam tali modo, vt possit illum effectum efficere, vt, v.g. non separando à me meam albedinem, cam realiter coniungit Petro, & tamen quia informare nihil aliud requirit quam cōiunctionem illam, supposita alias naturali aptitudine formæ ad informandum, ideo statim etiam informat illi sine augmento virtutis: quia ibi non augetur effectus intensiue, sed extensiue, & ad hoc satis est multiplicatio seu posicio eiusdem formæ in diuersis subiectis, quia ille effectus nihil aliud est, quam dare seipsum: & hæc ratione non videtur difficile intellectui, quod idem numero pñctum terminet plures lineas loco etiam distantes, si in omnibus illis constituitur: hæc ergo posset Deus substantiam vnius naturæ vnire etiam alteri naturæ, & tunc per se ipsam terminaret illam sine vlla additione, & eadem ratione posset vniri tribus & pluribus in infinitum, quia ad hoc non requirit in se maiorem virtutem, sed eandem pluries vnitam. Et iuxta hanc responsonem diceretur, perlonalitate creatam de se, & natura sua esse limitatam ad propriam naturam, & ad eam tantum terminandam habere veluti capacitatem & inclinationem naturalem: nihilominus posse diuina virtute vniri alijs naturis, & consequenter ipsam esse veluti in potentia obedientiali ad eam vniōem, quæ propter ea est supra naturam rerum & miraculosa: recte enim intelligi potest duas entitates esse naturales, & tamen earum vniōem esse supernaturalem, & ita ad illam, tantum esse in potentia obedientiali, vt si calor vniretur cælo vel quid simile.

Implicat

Quocirca si personalitas creata est entitas realiter à natura distincta, vt res à re, fateor me null. min. C uenire rationem, quæ hanc sententiam persuadeat: supposito tamen personalitatem tantum esse modum naturæ, videtur hæc satis sufficiens ratio, quia scilicet modus vnius rei ab illa realiter indistinctus non potest nisi rem illam modificare, minime vero rem aliam distinctam. Quod primum inductione patet, nam vna figura impossibile est vt aliam quantitatem afficiat præter eam, cum qua identificatur, nec seipsum nisi sedentem ipsum, à quo non distinguitur: vt res à re, nec relatio, &c. Ex qua inductione colligitur hanc esse conditionem essentiali modum, vt realiter sit ipsa res, quam modificat, & cum ea habeat intrinsecam adæquationem in præstando suo effectui, vel quasi effectui formali, quia reuera modus ipse nihil est aliud, quam res ipsa cuius est modus, taliter se habens vel sic terminata, quod etiam illo exemplo valde confirmatur, nam intelligi non potest, inhærentiam vnius accidentis, esse alteri accidenti rationem formalem inhærendi, seu modum inhærentis, præterquam illi cum quo identificatur, cuius nulla alia ratio reddi potest, nisi quia inhærentia tantum est modus.

Obiectio.

Dices hanc rationem nimium probare, videtur enim idem concludere de persona increata. Respondetur, non ita esse, vt ex supra dictis q. 2. patet, nam personalitas diuina non tantum est modus, sed est etiam per se ipsa perfectissima res & actus purissimus, & hinc habet quod possit terminare alienam naturam: & quia hoc conuenit illi ratione suæ infinitatis, merito D. Thom. dixit, ea ratione hoc esse proprium illius, & hoc modo verum etiam est, requiri infinitam perfectionem ad terminandum alie nam naturam. Confirmatur & declaratur hæc sententia, nam si personalitas creata esset entitas distincta à sua natura, posset certe conservari à Deo separata ab eadem natura, nulla enim potest reddi ratio implicationis: nam ex fide constat, quod potest separari, ergo si res distincta, cur non etiam separata poterit conservari? Rursus. Ergo posset Deus eam ponere in alia natura, v.g. personalitatem, quæ deberet esse in humanitate Christi, in natura Ioannis,

Cc 4 impedia-

impediendo ibi personalitatem Iohannis; sic ergo non posset negari in illa sententia, quin natura creata possit terminari personalitate creata aliena, saltem per separationem à propria natura, ut dictum est: tunc enim non procedit ratio de augmento virtutis, vel similes, quia effectus ille non esset maior: quod si hoc concedatur, facile fiet credibile etiam sine separatione à propria natura, id fieri potuisse. At vero ut nos praecedimus, facile intelligitur id esse impossibile, quia modus nunquam potest ita separari à re, cuius est modus, ut sine illa conferretur in esse. Alia etiam explicatio est, quia si personalitas esset res distincta, facile intelligi posset affixa diversis naturis, etiam si illa loco distet, solum per hoc, quod eadem entitas diversis in locis constituitur tota in toto, & tota in qualibet parte, quod facile etiam intelligitur non implicare. Si vero est tantum modus, nequit intelligi, quod rem distinctam modifiet, nisi illa prorsus penetret rem aliam, imo nisi idem cum illa fiat.

Non desunt tamen, quibus haec omnia exempla nihil persuadeant, sed potius existiment, illa omnia esse possibilia, nimirum, unum accidens realiter distinctum ab alio posse inherere subiecto per inhaerentiam alterius accidentis. Et me posse esse praesentem loco per ubi alterius corporis. Et sedere per eandem numero sessionem quae est in alio homine: & sic de alijs similibus. Item posse modum rei in alio loco constitui, quatinus in eo res ipsa non ponatur, ut v. g. figuram huius quantitatis constitui Romae, quamvis ipsa quantitas Romae non sit, quia, licet talis modus essentialiter pendeat à suo subiecto, nec sine illo possit in rerum natura conservari, satis est quod in vno loco habeat eam unionem vel identitatem cum subiecto suo, qua supposita non est contra essentiam eius, ut in pluribus locis constituitur, quam subiectum. Multa enim alia fecit Deus his mirabiliora, ut maxime in mysterio Incarnationis & Eucharistiae videre licet, & illa non admiramur, quia facta sunt: ergo neque illa omnia & similia sunt neganda, in quibus non apparet evidens contradictio, neque aliquid, quod perfectioni Dei repugnet: his enim principijs vtuntur Sancti Patres ad probandum posse Deum uti suis creaturis prout voluerit, & ad confirmanda mysteria supernaturalia, quae per fidem credimus esse à Deo facta, ut de miraculis Christi dicemus infra q. 13. & de Resurrectione in sequente tomo, & de Eucharistia in 3. & interim legi possumus Augustinus 25. de Ciuit. c. 5. & sequentibus. & lib. 6. Genes. ad lit. c. 13. & sequentibus. & lib. 9. cap. 17. Basil. lib. 2. & 3. contra Eunomium, Euseb. Emis. homil. 1. de Symbolo. Tertul. lib. 2. & 3. contra Marcionem: & alia quae congerit Claud. repet. 4. de Euchar. c. 4. Sed qui ea omnia in praedictis exemplis adducta, aut mente concipere, aut sibi persuadere potuerit, non mirum si credat, posse Deum unionem hypostaticam efficere inter naturam & personas creatas. Mihi tamen contradictionem implicare videntur ea omnia, supponendo, illas non esse res omnino distinctas, sed essentialiter vniam esse modum alterius, quod idem nunc de substantia supponimus. Sicut enim id quod est modus tantum essentialiter includit actualem unionem per seipsum cum re cuius est modus, & ideo existere non potest in rerum natura, quin illam actu efficiat, ita essentialiter determinat, sibi talem modum efficiendi per realem identitatem & actualem ac essentialem coniunctionem cum re quam efficit, & ideo implicat contradictionem, ut extra hunc modum efficiendi extrahatur, non ergo potest efficere rem à se distinctam, nec vniri adandum suum effectum formalem, vel quasi formalem per unionem realiter vel ex natura rei à se distinctam. Et confirmatur, nam hac ratione forma, quae ex natura sua habet modum informandi tantquam entitas distincta à subiecto non potest eleuari

ut actuet tanquam modus intrinsecus subiecto, quia hoc esset mutare essentiam, fieret enim essentialiter inseparabile à subiecto, quod ex vi suae entitatis erat separabile: ergo etiam è contrario repugnat, ut id quod essentialiter est modus, actuet aliam rem omnino distinctam per nouam & distinctam unionem. Praeterea repugnat, accidens informare subiectum non inherendo illi, quia, licet informatio ut sic in genere abstrahatur ab inhaerentia, ut patet in informatione animae rationalis, tamen accidens, quod essentialiter est talis forma, essentialiter etiam sibi determinat talem informationem, extra quam non potest extrahi, alia, etiam posset effectus formalis fieri sine causa formali, & materia prima eleuari posset ad informandum quamvis natura sua ad hoc apta non sit. Quod si hoc est impossibile ut re vera est, fatendum est, nullam formam vel modum aut actum intrinsecum extrahi posse à suo connaturali, & specifico ac essentiali modo actuandi: sed haec duae rationes actuandi, scilicet ut forma realiter distincta vel tantum ut modus intrinsecus, ex natura rei specificae & substantialiter sunt diuerse, & id quod est tantum modus, ex natura sua essentialiter determinat sibi talem modum efficiendi, & ideo ab illa extrahi non potest, neque actuare rem à se distinctam. Neque enim potest ita poni in rebus inter se realiter distinctis, ut idem numero manens cum vtraque illarum ita identificetur, ut ab vtraque sit essentialiter inseparabilis. Repugnat igitur, ut extrahatur ad actuandam rem aliam praeter eam, quam essentialiter afficit. Denique hanc repugnantiam quae est in rebus, satis indicat repugnantia quae est in intellectu ad concipiendum alterum sedentem per sessionem quae est in me; aut vniam vnam esse rectam per rectitudinem alterius, & similia, quae statim per se proposita incredibilia apparent, quia hi effectus tales sunt, ut per entitates distinctas fieri non possint, & ipsi modi tales sunt, ut non nisi seipsis absque vlla vnione media afficere possint. Ex hac ergo ratione sic explicata, facile soluitur obiectio omnes: est enim in hoc specialis contradictio, quamvis in alijs mysterijs, quae maioravidentur, non inneniatur. Atque ita etiam responsum est ad fundamentum prioris sententiae.

Illam vero quae de facto asseriebatur, nullam habent probabilitatem, nam fere certum est, Deum habere nullam hypostaticam unionem fecisse praeter Incarnationem: est enim hoc mysterium singulare & sine exemplo, ut Sancti saepe dicunt. Nec deiecit tam magni miraculum fieri, nisi in diuina persona, & ut perpetuo duraturum ad magnam Dei gloriam, & perfectionem operum ipsius. In angelorum vero apparitionibus, quamvis esset possibile, quod non solum eis substantialiter non vniuntur, verum etiam nec semper talia sunt, qualia apparent, & ideo dicebat Angelus Tobiae, capite duodecimo se non vere comedis nec bibisse. Cum ergo Patres dicunt potuisse Deum nos redimere per Angelum, nunquam dicunt id fuisse possibile redimendo per humanam naturam, sed per angelicam: similiter homines illi, qui dicuntur interdum Angeli in scriptura sacra, vel ab officio nuncij, vel à puritate vitae, sic appellantur, non à substantia. De Antichristo vero certissimum est non futurum demonem, nam esto Deus posset facere illam unionem, non illam faceret ad tam prauum finem, demon autem ipse non potest eam facere, nec Ambrosius 2. ad Theodosium. 2. aliud indicat, tantum enim dicit Antichristum futurum instrumentum demonis, & hunc pedagogum illius, & eodem modo est intelligendus Theodor. in epitome diuino decret. c. de Antichristo de quo late sequente tomo disp. 14. sect. 1. Tertul. denique ibi citatur, licet interdum indicet, Angelos cum

etum apparebant in forma humana, verum corpus A
carnem assumptis, nunquam tamen explicuit mo-
dum illius assumptionis, nec de hypostatica vnione
quidquam dixit: imo nec priorem sententiam con-
stanter affirmat, quod illa fuerit vera caro, sed quasi
per exaggerationem interdum ita loquitur, cum a-
liis locis id neget, vt annotauit Pamel. in principio
operum, Tertul. Paradox. 2. & 19.

QVÆSTIO IV.

De modo vnionis ex parte nature assumptæ,
in sex articulos diuisa.



Inde considerandum est de vnione ex parte
assumpti. Circa quod primo considerandum
occurrit de his, que sunt a Verbo Dei assum-
pta. Secundo, de consumptis, que sunt perfe-
ctiones & defectus, assumpti autem Dei Fi-
lius humanam naturam & partes eius.

Vnde circa primum triplex consideratio occurrit. Prima
est quantum ad ipsam naturam humanam. Secunda est quan-
tum ad partes ipsius. Tertia quantum ad ordinem assumptio-
nis.

Circa primum queruntur sex.

Primo, vtum humana natura fuerit magis assumptibilis à
Filio Dei, quam aliqua alia natura.

Secundo, vtum assumpsit personam.

Tertio, vtum assumpsit hominem.

Quarto, vtum fuisse conueniens, quod assumpsisset naturam
humanam a singularibus separatam.

Quinto, vtum fuisse conueniens, quod assumpsisset humanam
naturam in omnibus eius singularibus.

Sexto, vtum fuerit conueniens, quod assumeret huma-
nam naturam in aliquo homine ex stirpe de progenito.

A Git D. Thomas in hac questione de altero extre-
mo huius vnionis, sc. de natura assumpta, & fere
in tota questione solum tractat de mysterio prout
factum est, obiter tamen indicat aliquid de possibili-
tate, in quas duas partes hanc & sequentem questione
diuidemus, sicut in præcedenti questione fecimus.
Præmittenda verò esset hoc loco disputatio de sub-
sistentia, seu personalitate creata, quam Caietanus
artic. 2. latissime tractat, nisi de hac re, vt in superio-
ribus dixi, in disputationibus Metaphysicis tracta-
tum esset.

ARTICVLVS I.

Vtrum natura humana fuerit magis assumptibilis
à Filio Dei, quam aliqua alia natura.



Ad primum sic proceditur. Videtur, quod
humana natura non fuerit magis assum-
ptibilis à Filio Dei, quam qualibet alia na-
tura. Dicit enim Augustinus in Epist. * ad
Volusianum. In rebus mirabiliter factis, ro-
ta ratio facti est potentia facientis: sed potentia Dei facien-
tis incarnationem, que est opus maxime mirabile, non limi-
tatur ad vnā naturam: cum potentia Dei sit infinita. Ergo
natura humana non est magis assumptibilis à Deo, quam ali-
qua alia creatura.

2. Præterea, Similitudo est ratio faciens ad congruita-
tem incarnationis diuina persona: vt supra dictum est. * sed
ita in creatura irrationali inuenitur similitudo imaginis. Er-
go creatura irrationalis assumptibilis fuit, sicut humana na-
tura.

3. Præterea, in natura angelica inuenitur expressior Dei
similitudo, quam in natura humana: sicut Gregorius dicit
in homil. * de centum ouibus, introducens illud Ezechielis 28.

Tu signaculum similitudinis: inuenitur enim in Angelo pec-
catum, sicut in homine: secundum illud Job 4. in Angelis suis
repperit prauitatem: ergo natura angelica fuit ita assumpti-
bilis, sicut natura hominis.

4. Præterea, Cum Deo competat summa perfectio, tan-
to magis est Deo aliquid simile, quanto est magis perfectum:
sed totum vniuersum est magis perfectum, quam partes eius,
inter quas est humana natura, ergo totum vniuersum est ma-
gis assumptibile, quam humana natura.

Sed contra est, quod dicitur Proverbiorum 8. ex ore Sa-
pientie genita: Delitiae mea sunt esse cum filiis hominum. Et
ita videtur esse quædam congruentia vnionis filij Dei ad hu-
manam naturam.

B Respondeo dicendum, quod aliquid assumptibile dici-
tur quasi aptum assumi à diuina persona. Que quidem a-
ptitudo non potest intelligi secundum potentiam passiuam
naturalem: que non se extendit ad id, quod transcendit
ordinem naturalem, quem transcendit vno personalis
creatura ad Deum. Vnde relinquitur quod assumptibile a-
liquid dicatur, secundum congruentiam ad vnionem præ-
dictam. Que quidem congruentia attenditur secundum duo
in humana natura, scilicet secundum eius dignitatem &
necessitatem. Secundum dignitatem quidem, quia huma-
na natura, in quantum est rationalis, & intellectualis, na-
ta est attingere aliquatenus ipsum Verbum per suam opera-
tionem, cognoscendo scilicet, & amando ipsum. Secundum
necessitatem autem, quia indigebat reparatione, cum subiaceret
originali peccato. Hac autem duo soli humane nature
conueniunt: nam creatura irrationali deest congruitas di-
gnitatis: natura autem angelica deest congruitas prædicta
necessitatis. Vnde relinquitur, quod sola natura humana sit
assumptibilis.

Ad primum ergo dicendum, quod creature denominan-
tur aliquales ex eo, quod competit eis secundum proprias
causas: non autem ex eo, quod conuenit eis secundum cau-
sas primas & vniuersales: sicut dicimus aliquem morbum
esse incurabilem, non quia non potest curari a Deo, sed
quia per propria principia subiecti curari non potest. Sic er-
go dicitur aliqua creatura non esse assumptibilis, non ad
subtrahendum aliquid potentie diuine, sed ad ostendendum
conditionem creatura, que ad hoc aptitudinem non
habet.

C Ad secundum dicendum, quod similitudo imaginis at-
tenditur in natura humana, secundum quod est capax Dei,
scilicet ipsum attingendo propria operatione cognitionis &
amoris. Similitudo autem vestigijs attenditur solum secundum
representationem aliquam, ex impressione diuina in crea-
tura existentem: non autem ex eo quod creatura irratio-
nalis, in qua est sola talis similitudo, possit Deum attingere
per solam suam operationem. Quod autem deficit a minori,
non habet congruitatem ad id, quod est maius: sicut corpus
quod non est aptum perfici anima sensitiua, multo minus
est aptum perfici anima intellectiua. Multo autem maior
& perfectior est vno ad D E V M secundum esse perso-
nale, quam que est secundum operationem. Et ideo crea-
tura irrationalis, qua deficit ab vnione ad Deum per opera-
tionem, non habet congruitatem, vt vniatur ei secundum esse
personale.

Ad tertium dicendum, quod quidam dicunt, Angelum
non esse assumptibilem: quia a principio sue creationis est
in sua personalitate perfectus, cum non subiacet genera-
tioni & corruptioni. Vnde non posset in unitatem diuina
persona assumi, nisi eius personalitas destrueretur: quod
neque conuenit incorruptibilitati nature eius, neque bo-
nitati assumptis: ad quam non pertinet, quod aliquid
perfectioris in creatura assumpta corrumperet: sed hoc non
videtur excludere totaliter congruitatem assumptionis An-
gelice nature: potest enim D E V S producendo nouam
angeli-

Est homil. 34
in Euangel.
ante mediū
illius.

27.
142 q. 1. ap.
144 contr.
143 tertium
quartum.
In epist. 3. nō
multum an-
ticed. 10. 2.

2744. art. 8.